



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Liber IX. Ethicorum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Ejusmodi amicitia suntne frequentes inter homines?

Rarissimæ sunt. Tempore enim & consuetudine indigent: unde rectè dicitur, homines se mutuo cognoscere nõ posse, priusquam salis modium uná cõsumpserint. Hinc est, quod Lælius refert, ex omnibus seculis tria tantum amicorum paria esse inventa.

Quenam sunt ista paria?

Damon & Pythias; Pylades & Orestes; Thefeus & Protheus. His annumerantur Scipio & Lælius, David & Jonathas.

Quomodo appellat Aristoteles amicitiam parentum erga liberos, principum erga subditos?

Amicitiam ex supereminentia. Amicitiam enim patris erga filium, senioris erga juniorem, profus est ex aliqua excellentia.

Suntne similes amicitia parentum erga liberos, & dominorum erga servos?

Nequaquam: Diversa enim filiorum & libditorum virtus est, diuersumque opus: Ipsas ergo amicitias quoque diversas esse necessarium est.

Amicitiam patris erga liberos cui politiarum & qui parat Aristoteles?

Regiæ seu Monarchiæ.

LIBER IX. ETHI-
CORUM.

Argumentum libri noni.

Incho

Inchoatam de Amicitia disputationem deinceps in libro nono plenius persequitur.

CAP. I.

De dissolvenda Amicitia aut retinenda.

Unde conciliatur amicitia?

Morum, similitudo, & mutua benevolentia seu redamatio, amicitiam conciliat & conservat.

Si igitur amicorum alter mores suos mutaverit, ut quem existimaveris bonum, aperte jam malum conspicias, estne cum eo amicitia retinenda, vel mox resolvenda?

Non statim dissolvenda est amicitia, sed danda opera est, ut amici pravos mores corrigamus; eumque in pristinum statum, si fieri possit, reducamus. Quod si fieri nequeat, dissolvenda magis sunt, quam discindenda amicitia improborum hominum.

Potestne inter homines sceleratos esse amicitia?

Nullo modo. Ejusmodi enim per malam conscientiam qua affliguntur, aliis neque coluctari neque condolere possunt: Est igitur inter malos non amicitia, sed conjuratio seu factio quaedam. Quamvis enim contingat nonnumquam, ut in patrandis sceleribus pravi consentiant, illa tamen consensus & unanimitas non diu consistit. Hinc amicitia cum sit virtus, in malis locum non habet.

Suntne idem, benevolentia & amicitia?

Non: Benevolentia enim erga ignotos esse potest, amicitia non item: Item omnis amicus est benevolus, non autem e contra.

*Amicōne magis, an alii viro probo est in-
serviendum?*

Ad circumstantias & occasionem est respiciendum. Quod si amicus in summis vitæ periculis sit constitutus, relicto bono viro, qui nostri auxilii indiget, primùm amico est inserviendum.

Amicus potestne esse φίλος?

Φίλος, si pro eo intelligatur, qui omnia sua consilia, facta dictaque, adeoque ipsam mentem eò confert, ut justus ac modestus sit in omnibus vitæ suæ actionibus, nō erga se solum, sed etiam erga alios: hac sanè significatione quilibet bonus amicus quoque φίλος, id est, amans sui dici potest.

*Felix cūm omnibus bonis abundet, & ex se sibi
sufficiat, indigetne amicis?*

Absurdum est felicem, cūm ei omnia bona tribuantur, amicis spoliari. Nemo enim eum, qui cūm omnibus bonis affluat, vitam tamen solitariam ducat, beatum dicit.

Debetne igitur multos amicos conciliare?

Tot conciliabit quot ad conservationem opus habuerit, & honestam vitam: multorum neque sit hominum, neque nullius hospes, ut inquit Hesiodus.

Potesunt

ETHICÆ LIBER IX. 75

Potestne multorum quis esse amicus?

Amicitia vera tantum inter duos consistit: unde si quis multos habeat amicos, omnibus familiariter occurrat, & suaviter cunctis con- verletur & colloquatur, ille nemine veré, sed civiliter tantum amare videtur. Hinc non a- mici, sed obsequiosi proprié hujusmodi ho- mines dicuntur.

Qui dicuntur civiliter amare?

Qui dicta factaque omnium eorum, cum quibus versantur, laudare & admirari consue- verunt, neque illis umquam ulla in re adver- santur: Quamobrem obsequiosi etiam dicun- tur, quod omnibus obsequantur, vel recté ob- sequi videantur.

Amici an né magis in tempore infortunii, an tem- pore bonæ fortuna sic appellandi sunt?

Amicorum presentia omni tempore suavis est. In rebus adversis quidem magis necessariū est, habere amicos: in rebus autem prosperis, honestius.

LIBER X. ETHI-
CORUM.

Argumentum libri decimi.

Cum proposuisset Aristoteles in Ethicis propo- nere, quisnam sit finis hominum, & quæ felicitas, & quibus mediis eam assequi possimus, tandem il- lis absolutis progreditur rursus ad felicitatē, eam non consistere in voluptate, docens.